

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

CLXV.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](#)

ctori pio hæc curæ sunt. Itaque oramus, ut DEUSum gubernet, & promoveat nominis sui gloriam.

Porrò vobis gratias agimus, quod ita benevolentia nostros complectimi-  
ni, promovetis & juvatis. Certe similem vobis gratiam referre non possumus.  
Sed beneficia vestra nostris exhibita coram DEO & hominibus prædicare  
non desinemus. Sicut autem mihi Christophorum Stauffenbuhlium com-  
mendas: ita tibi vicissima Andream Copichium commendatissimum esse &  
deinceps cupio. Nec ego Stauffenbulii immemor ero, si se occasio, ut ipsi  
prodesse possim offeret. Cum autem morbo impeditus nondum ad nos ve-  
nerit, nescio quid cum ipso Dominus in posterum facturus sit. Si venerit, da-  
bimus operam, ut eum juvemus. Sed mira est hæc benevolentia vestra, quod  
vos de nostris solliciti estis, & eos nobis commendatis. Ex abundantia  
amoris erga nos cum ea proficiscantur, merito vos viciissim & amamus, & ve-  
neramur, atque ut semper vestra benevolentia utamur in pluribus, incitamur.  
Et ego cum ex sorore mea nepotem hic habeam, adolescentem modestum, &  
doctrinæ non minus avidum quam capacem, cogito, data occasione, eum ad  
vos mittere. Et spero vos eandem, quam aliis exhibuistis, ei propter me promptius  
benevolentiam exhibituro esse, ut ita penitus vobis omnibus modis ad  
perpetuam gratitudinem obligatus sum. Bene in Christo vale. Isleb. die  
22. Maji, Anno 1574.

*Tuus ex animo totus frater*

Hieronymus Mencelius.

CLXV.

**S** De adventu tuo ad nos quod spem nobis feceras, gratissimum erat nuncium;  
quia excipere te, & familiariter de multis colloqui ex animo cupiebamus, sed  
quia cum præstantissimis viris D. D. Jacobo Andrea, & Varenbülero, cum consilia  
communicari in Herrenalp, non dubito, sic tibi prudentissimorum congressu satis-  
factum, ut acquiescas animo, & quantum intelligo, sic illi pia consolatione te erexe-  
runt, ut nulli tentationi de mutando statu indulgeas, quantumlibet gravibus procel-  
lis concussus fueris; fuisset idem prorsus etiam nostrum consilium, nec dubito, hue  
etiam conscientia dictante te permovevi, graviora passum, dum benigna in sedem  
vice DEUS restituar, qua nunc collapsa videntur. De valerudine non desino esse  
solicitus, cuius restitutionem flagitare à Christo lospiratore pergo, quo diutius possis  
præesse gregi commissio pastor, & clavum tenere in gubernatione Ecclesie: Cate-  
rume.

rum quod Philippum attinet, et si maluissem locum habere in patria, cum tamen occasio per divinam vocationem sic tulerit, ut praefare operam frugiferam & primicias donorum suorum, quae accepit insignia, consecrare Deo in Styria possit, non dubito id facturum, cum insigni suo & Ecclesiae fructu. Simul etiam remitteret citius invidia, & forte desiderabitur paulo post ardenter, sicut nosti comparata esse hominum ingenia. Wislandus à te commendatus, eo usque jam profecit, post datum triplex privatum & unum publicum disputando specimen, ut sit ad actum admissus à Jurisconsultorum ordine; is celebrabitur 25. Iunii, quo peracto recta arbitrator ad vos se confereret. Piscator autem alter, quem pariter virum optimum & doctissimum judico, sua sponte differt, quo procul temporis recolligere studia possit, & tutius deinde examinum aleam subire; apparet in eo viro summa modestia cum pietate conjuncta, & habetur nostris Jureconsultis gratissimus, nec defuturos illi etiam socios arbitrator. D. Obrechtus sic sua obivit, ut amplissimum accurata doctrinæ testimonium à nostris referat, à me certe, virtutum, candoris, pietatis summum, idque meritisimo suo, cui ut gratulor coronam virtutibus dignam, & redditum in patriam, ita doleo à familiari conversatione nostra ipsum avelli. Utinam vero idem in patria potius deinceps perseverare, quam novam in Italiam peregrinationem suscipere instituat, quia mature velim ipsum suis inservire, qui prodest pluriuum, propter singulariem industriam, prudentiam, gravitatem & suavitatem potest, & quia ejus valitudini timeo, qua facile Italico aere & victu debilitari queat, cum eadem in Gallia etiam non parum detrimenti eidem attruerint. De rebus nostris copiose deferet omnia, nec est, ut eum commendem tibi, quem & tui amantissimum & commendissimum tibi pridem esse novi. Sed bene vale in Christo Jesu cum uxore & tota familia, in primis L. Erasmo & collegis. Salutant te, Coccius, Fieginus, amanter. Scripti Basileæ, 16. Maii, Anno 74.

T. d. totus ut semper

S. Sulcerus.



### CLXVI.

### *Salutem in Christo.*

L iteras tuas, Reverende & Clarissime Vir, Domine & frarer honorande, 18. Aprilis scripas accepi, ex quibus summa animi voluptate percepi, post brevissimi temporis collationem tuum animum nunc quietum, ut cogites, pro donis tibi a Domino egregiis concessis, officium facere in Schola & Ecclesia, & gubernationem Deo committere.

Q. q. 3

mittere.